

Quo anno natus sit, quoque anno obierit S. Joannes Damascenus? obscurum prorsus est, quod vel conjectura assequi nullus potest. Certo tamen affirmari posse videtur, eum natum esse ante exitum sæculi septimi. Nam si Joanni Patriarchæ Hierosolymitano, qui ejus vitam descripsit, fides adhibenda sit, S. Joannes Damascenus ante annum DCCXXX. ea ætate erat, ut publica Saracenorum Principis negotia administraret, & de Fide contra Hæreticos Iconomachos scriberet ac strenue disputaret. Vixit Joannes Damascenus sub Leonis Isaurici, & Constantini filii ejus Imperio. Omni Græcorum disciplina, divinisque litteris imbutus paternas divitias pro amore Christi deserens, factus est Monachus, & contra exortam Iconoclastarum Hæresim, omni rationum vi, & argumentorum e Sacris Scripturis petitorum efficacia pugnavit. Unde ab Hæreticis Imperatoribus Iconoclastis sapius in exilium relegatus, & carceribus traditus in confessione fidei Catholicæ gloriose occubuit. Testatur Joannes Patriarcha Hierosolymitanus in Vita S. Joannis Damasceni, dexteram manum, jussu Caliphæ Saracenorum, Sancto Joanni Damasceno abscissam, miraculose fuisse ei restitutam precibus Beatæ Mariæ Virginis, quæ eum sic affata est: *En tibi manus sanata est: de cetero ne cessa, sed, sicut modo pollicitus es, fac eam calamum esse Scribæ velociter scribentis.* Multa, eaque præclara S. Joannes Damascenus reliquit Ecclesiæ ingenii sui monumenta, quæ doctissimus, mihiq; amicissimus noster Michael Lequien in sua omnium Sancti Joannis Damasceni Operum recenti, & castigatissima Editione duobus Tomis in folio complexus est, ac Parisiis edi curavit anno MDCCXII. In primo tomò Editionis Operum S. Joannis Damasceni Cl. P. Lequien præmittit universo Operi Præfationem in novam Operum S. Joannis Damasceni Editionem a se adornatam. Deinde, subnectit Diatribam Leonis Allatii de S. Joanne Damasceno. Hanc Leonis Allatii Diatribam excipiunt septem elegantissimæ & omnis eruditionis genere resertæ Dissertationes Damascenicæ, quas ipse accuratissimo Criterio elucubravit. Sequuntur postea Vita S. Joannis Damasceni a Joanne Patriarcha Hierosolymitano conscripta; Sermo de Philocofinis, & de Sancti Joannis Damasceni conversatione parva Enarratio; postremo, *Varia Testimonia Selecta Veterum de S. Joanne Damasceno & ejus scriptis.* Hæc omnia, Prolegomenorum instar, toti Editioni Operum S. Joannis Damasceni a se concinnata præmisit percelebris laudatus Auctor, qui indefesso labore omnia S. Joannis Damasceni Opera sive edita, sive quæ necdum omnino prodierant, maximo Ecclesiæ & Reipublicæ Christianæ emolumento, Græco-Latina in lucem emisit. Ut autem facilius unicuique innotescere possent S. Joannis Damasceni Opera, quæ hæcenus non prodierant, vel solum Latine edita fuerant, ea sæpe citatus Auctor asterisco notavit, ut videre est in hac Serie Operum S. Joannis Damasceni, quam, juxta accuratissimam P. Lequien Editionem hic in rem tuam attexere necessarium duxi.

SERIES OPERUM
S. JOANNIS
DAMASCENI,

Quæ in recenti Editione P. Lequien continentur.

Opera, quæ asterisco * notantur, aut necdum prodierant, aut Latine tantum.

- (Capita Philosophica, sive Dialectica)
1. Scientiæ De Hæresibus fons. De Fide Orthodoxa.
 2. Pro Sacris Imaginibus Oratio Prima. Secunda. Tertia.
 3. * Libellus de recta sententia.
 4. * Libellus velut ex persona Petri Sanctissimi Episcopi Damasci ad Episcopum Darææ Jacobitam.
 5. Contra Manichæos Dialogus.
 6. * Disceptationes Christiani & Saraceni, cum Disceptariuncula a Theodoro Abucara ex Joannis Damasceni Ore suscepta.
 7. * De Draconibus & Strygibus.
 8. De Sancta Trinitate.
 9. Epistola ad Jordanem Archimandritam de Hymno Trifragio.
 10. * Epistola de Sanctis Jejunii.
 11. * De octo Spiritibus nequitia.
 12. Ex Sermonibus Sententiarum Fragmentum, quas Bilibaldus Pircheymerus ex Græcis, Latinas fecit.
 13. De Virtute & Vitio.
 14. Institutio Elementaris ad Dogmata, viva voce Joannis Monachi Damasceni, ad Joannem Sanctissimum Laodiceæ Episcopum.
 15. De Natura Composita contra Acephalos.
 16. De duabus in Christo voluntatibus & operationibus, deque reliquis proprietatibus, ubi obiter, de duabus Naturis & una Hypostasi.
 17. Dissertatio accuratissima adversus exortam Deo Nestorianorum Hæresim.
 18. Responsio ad eos, qui dicunt, si duæ naturæ est homo, necesse est ut in Christo naturas tres, totidemque dicamus actiões, ut obicit Severus.
 19. * Fragmentum de Theologia: *Qua ratione homo imaginem Dei referat*, aliaque varia Fragmenta ex Codice S. Hilarii.
 20. * Fragmenta alia ex eodem S. Hilarii Codice.
 21. * De Unione definitiones variæ.
 22. * Fragmentum aliud ex Nicetæ Choniatae Theauro.
 23. * Frag-

23. * Fragmenta duo ex Catena Regia in Lucam.
24. * De mensibus Macedonicis ex Ecclesiastica traditione.
25. * De mensibus diversis.
26. * Canon Paschalis.
27. * Epistola ad quemdam missa: *Quid homo sit?*

Opera dubia, ac supposititia.

1. Oratio de iis, qui in fide dormierunt, quemodo Missis, & elemosynis, & beneficentis, quæ pro illis fiunt, adjuvantur.
2. * Epistola ad quemdam de Confessione: & qui tandem iidem sunt, qui potestatem ligandi & solvendi acceperint?
3. * Oratio demonstrativa de sacris venerandis Imaginibus, ad Christianos omnes adversus Imperatorem Constantinum Cabalinum & Hæreticos universos.
4. Epistola ad Theophilum Imperatorem de sanctis & venerandis Imaginibus.
5. * De Azymis.
6. Epistola Sanctissimi Petri Mansur ad Zachariam Doarorum Episcopum.
7. Ejusdem, Caput de immaculato corpore, cuius participes sumus.
8. * Interpolationes duæ libri de Fide Orthodoxa, quarum incogniti sunt Auctores.
9. * Expositio, & Declaratio Fidei. Genuinum hoc est S. Joannis Damasceni Opus, sed a P. Lequien Latine tantum datur ex versione Arabica.

His subjiciuntur Carmina Cantica in variis solemnitates.

1. In Theologiam.
2. In Theophania.
3. In Pentecosten, *dubie fidei.*
4. Eadem Carmina Latine solum stricta Oratione, Jacobo Bilio Interprete.
5. In Dominicam Paschæ Cantica.
6. In Assumptionem Domini nostri Jesu Christi.
7. In Transfigurationem Domini nostri Jesu Christi.
8. In Annunciationem Dei Genitricis.
9. Precatio ad Christum versibus Anacreonticis. *Incertæ fidei.*

T O M O II.

1. * Ex universa interpretatione Joannis Chrysofomi excerpta Compendiaria a Joanne Damasceno.
2. * Sacra Parallela.
3. * Eclogarum Liber I. & II. sunt Parallelorum aliorum ex Codice Rupefucaldino Collegii Parisiensis Societatis Jesu exceptiones cum eorum Indice.
4. * Oratio de gloriosa Domini nostri Jesu Christi Transfiguratione.

5. * In Ficum arefactam, & in Parabolam Vineæ.
6. * In Sanctam Parasceven, & in Crucem.
7. In Sabbatum Sanctum.
8. * In Angelicam Annunciationem Incarnationis Christi, ad illibaram Dominam nostram Mariam. *Latine tantum ex versione Arabica.*
9. * In Annunciationem Sanctissimæ Domine nostræ Dei Genitricis.
10. In Sanctissimæ Domine nostræ Dei genitricis, semperque Virginis Mariæ Natalitium diem.
11. * In eandem Sanctissimæ Domine nostræ Natalem diem.
12. * Encomium in dormitionem celebratissimæ, gloriosissimæ, ac benedictæ Domine Dei genitricis semperque Virginis Mariæ.
13. * In eandem.
14. * In eandem.
15. * In laudem S. Joannis Chrysofomi.
16. * Laudatio sanctæ, & inclytæ Martyris Christi Barbaræ.
17. * Fragmentum sermonis cujusdam ex Catena Regia in Lucam.
18. * Precationes tres.

Præter hosce duos Tomos in Folio Operum S. Joannis Damasceni, alium Tomum parat doctissimus P. Lequien, in quo alias lucubrations S. Joannis Damasceni nomine falso insignitas inferret cum genuinis ejusdem Sancti aliquot sermonibus Asceticis, quos invenit in Codice manu exarato Bibliothecæ Illustrissimi Ducis Episcopi Metensis. Cæterum Clarissimo huic Scriptori exoticarum linguarum peritissimo, & Ecclesiasticæ antiquitatis indagatori sagacissimo, plurimum debet Republica literaria, quod castigatissimam Operum S. Joannis Damasceni Editionem publicaverit, eamque elegantissimis Dissertationibus, Criticis Præfationibus, & doctissimis Annotationibus illustraverit (a).

(a) S. Jo. Damasceni Paralepticam seu libellum precationum ad B. Virginem latine ex græco versam evulgavit Romæ an. 1685. P. Hippolytus Marracci, Congregationis meæ Scriptor clarus, qui & in vernaculum Italum sermonem translata iterum edidit. Hæc vero in P. Lequienii collectione Damascenica ideo non reperitur, quia cum libellus sit Liturgicus, dubium est, num totus Damasceno auctori debeat, cum sæpe accidat ejusmodi libros veterum accessionibus augeri, & omnia in unum confundi. Volumen vero illud de operibus dubiis & supposititiis Damasceni, quod Lequienius parabat, lucem non vidit. Hoc ipso pariter Marraccio editore productum est Romæ an. 1650. Mariale S. Germani, de quo viro Gravesonius hic. Est autem collectio Paralepticarum Orationum quarundam ejusdem SS. Præsulis in laudem B. M. Virginis. Earum priorem jam dederat Conbesius in Auctario sub nomine S. Andreae Cretenis. Marraccius eam vindicat S. Germano ex fide Vaticani Codicis.

dicis 109. Succedit altera in præsentationem S. Mariæ Virginis, quam præsentationem describit S. Germanus. Hanc orationem in Vaticano Codice 379. nactus est Marraccius, deditque ex latina interpretatione Joannis Matthæi Cariophili Iconiensis Episcopi. Dat & alteram in Annunciationem B. M. nunquam antea vulgatam. Reliquas utpote aliunde notas prætereo.

Sancto Joanni Damasceno in Oriente suppres fuerunt Cosma Hierosolymitanus, Georgius Hamartolus, & Anastasius Abbas Monasterii Sancti Euthymii in Palæstina; de quibus pauca hic observare sufficere. Prior, seu Cosma ex Abbate Episcopus Majumæ inauguratus elegantissimo præditus fuit ingenio, & cum S. Joanne Damasceno arctissima necessitudine junctus, eoque hortatore, Hymnos tredecim in præcipuis anni Festivitates composuit, qui extant Tomo XII. Biblioth. Patrum Editionis Lugdunensis. Triodium etiam, quod Græci in divinis Officiis a Dominica septuagesimæ usque ad Octavam Pentecostes utuntur, editum dicitur a S. Cosma Hierosolymitano, auctum vero a Theodoro, & Josepho Studitis, ut observat Aubertus Miræus Auctario de Scripioribus Ecclesiasticis. Alter, seu Georgius Hamartolus græce scripsit Chronicon ab exordio Mundi usque ad Imperium Constantini Copronymi, quod in Bibliotheca Bavarica MS. extare Miræus affirmat. Eiusdem etiam Georgii Hamartoli Homiliam de inventionem S. Crucis edidit Gretserus Tomo II. de Cruce. Postremus, seu Anastasius Abbas Monasterii S. Euthymii in Palæstina, cujus meminit S. Joannes Damascenus initio Libelli de Trifagio, scripsit librum contra Judæos, qui a Turriano latine redditus, legitur apud Canisium Tomo III. antiquarum Lectio- num, & Tomo XIII. Biblioth. Patrum Editionis Lugdunensis.

D. Protulitne octavum Ecclesiæ sæculum alios, præter istos, quos hæcenus recensuisti, Viros illustres, qui in Oriente litteris, & pietate floruerunt?

M. Protulit adhuc octavum Ecclesiæ sæculum quatuor in Oriente insignes viros, videlicet Germanum Patriarcham Constantinopolitanum, Andream Cretensem Episcopum, Georgium Syncellum, & Theophanem Constantinopolitanum, qui eruditionis, & pietatis laude maxime claruerunt; quorum Opera hic breviter indicabo. In primis, S. Germanus, qui, ut jam observavimus, fidei Catholicæ adversus Iconomachorum Hæresim acerrimus defensor fuit, tres scripsit Epistolas, quæ in septima Synodo generali, quæ dicitur Nicæna secunda, lætæ sunt ad confirmandam cultus Imaginum doctrinam ab Iconomachis impetitam. Duas ejusdem S. Germani Homilias de Sancta Cruce edidit Gretserus Societatis Jesu Theologus. Quinque ipsius Orationes edidit etiam eruditissimus noster Combefisius Tomo I. Auctarii Biblioth. Patrum Græco-Latinæ. Non convenit inter Viros eruditos, S. Germanum, qui octavo Ecclesiæ sæculo Constantinopolitanam regebat Ecclesiam, esse Auctorem Theoriæ Rerum Ecclē-

siasticarum. Alii enim cum Gretsero, & Leone Allatio, hanc Theoriam tribuunt Germano juniori Constantinopolitano Patriarchæ, qui initio sæculi XII. floruit. Alii cum Bellarmino eam adjudicant Germano, qui octavo sæculo vixit. Andreas Archiepiscopus Cretensis multas composuit Homilias, & alia Opuscula, quæ doctissimus noster Combefisius cum Notis, atque Onomastico peculiari Græco - Latine Parisiis anno 1644. publica luce donavit. Georgius Syncellus Auctor est Chronographiæ ab Adamo, usque ad Imperatorem Diocletianum productæ, quam circa annum MCCXII. publicavit, eamque postea Theophanes, qui ei familiaris fuit, uberiori stylo continuavit. Interfuit Georgius Syncellus septimæ Synodo generali, seu Nicænæ secundæ, & ut ait Anastasius Bibliothecarius in Præfatione Historiæ Ecclesiasticæ, tam pro fidei constantia, quam pro multarum virtutum insignibus, sanctæ memoriæ Tarasii Regiæ Urbis Præsulis Syncellus effectus est. Ejus Chronologiam eruditus noster Goarus adjecta versione Latina ex Regia Typographia cum Nicephori Constantinopolitani Breviario Chronographico in lucem edidit. Denique, Theophanes ex illustri Prosapia Constantinopoli ortus, eruditione, & sanctimonia in Oriente celeberrimus fuit. Fidem Catholicam de sacrarum Imaginum veneratione sub Leone Armeno Imperatore Iconomacho intrepide confessus, ejus iustu in carcerem detrusus est, ubi fame, pedoreque per biennium cruciatus est. Dein, in exilium deportatus, ad palmam sempiternam in Cælis percipiendam evolavit. Miraculis ejus sanctitas fuit illustrata, & ab Ecclesia Græca die XII. mensis Martii Officiis celebratur. Chronographiam scripsit Theophanes, quam ab anno primo Diocletiani Imperatoris, ubi Georgius Syncellus defecit, produxit usque ad annum MCCXIII. hoc est, usque ad annum primum Leonis Armeni Imperatoris. Eamdem Theophanis Chronographiam postea continuavit Leo Grammaticus, quem noster Combefisius in Notis ad ejus Historiam ostendit suppressem illis fuisse, quorum res gestas prosecutus est. Post Leonem Grammaticum, Theophanis Historiam continuarunt Auctor incertus coævus, qui ea narrat, quæ tempore Leonis Armeni Imperatoris contigerunt; Constantinus Porphyrogenita, qui sæculo Ecclesiæ decimo Constantinopoli imperavit, quem Auctor alius incertus continuavit; denique Symeon Magister & Logotheta, vulgo Metaphrastes appellatus, & Georgius Monachus, qui in Constantino iterum imperante Historiam absolvit. Hos omnes Historicos, præter Leonem Grammaticum, & priorem Auctorem incertum, noster Combefisius e Græco in Latinum vertit. Theophanis Chronographiam e Græco in Latinum transtulit doctissimus noster Jacobus Goarus, Notisque illustravit; sed eo, dum Theophanis textum, & adornatam a se versionem Latinam prælo pararet, morte prærepto, Clarissimus noster Combefisius hanc curam in se suscepit, ac Theophanis textum, concinnatamque a Jacobo Goaro charissimo sodali suo versionem recensuit, & Parisiis in Ty-

pogra-

pographia edi curavit cum Notis ejus posthumis, novisque observationibus illustratam. Si plura de Theophane scire aveas, legis ejus Vitam ab Auctore Anonymo scriptam, quam ex Veneta S. Marci Bibliotheca erutam Cardinalis Franciscus Barberinus ad Combefisium nostrum transtulit, a quo latinitate donata, & Chronographiæ Theophanis præfixa est. Lege etiam Notas doctissimi nostri Goari in Theophanem, ubi varia habet de aliis Sanctis, & Scriptoribus, qui hoc eodem Theophanis nomine fuerunt insigniti, & de rebus, quæ ad præsentem Theophanem Chronographiæ Auctorem spectant pertinent. Bollandus ad diem XII. mensis Martii, quo colitur S. Theophanes, duas illius exhibet Vitas ab incertis Auctoribus conscriptas.

D. Hæc, quæ hæcenus de Viris illustribus, qui octavo Ecclesiæ sæculo in Oriente floruerunt, in medium protulisti, alius memoriæ infixæ teneo; quibus si nunc adjungas seriem aliorum Auctorum, qui eodem octavo Ecclesiæ sæculo in Occidente eruditionis, & pietatis laude præ cæteris claruerunt, plenam ac perfectam habebis notitiam omnium Scriptorum Ecclesiasticorum, qui octavum Ecclesiæ sæculum toto Orbe Christiano illustrarunt.

M. Inter Scriptores Ecclesiasticos, qui octavum sæculum in Occidente litteris, & pietate nobilitarunt, eminet Venerabilis Beda Nacione Anglus, professione Monachus Ordinis Sancti Benedicti, eximia doctrina, & singulari pietate toti Orbi conspicuus, cujus præclaras virtutes Elogio historico late prosequitur doctissimus Mabillonius sæculo III. Benedictino parte I. Natus est Beda anno DCLXXII. & diem supremum obit in ipso Ascensionis Christi Domino Festo, seu VII. Kalendar. Junii anni MCCXXXV. statim ab ipso obitu Sanctus habitus est, & appellatus, eumque pluribus Epistolis S. Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus, & Lullus ejus successor commendarunt. Jam a nono Ecclesiæ sæculo nomen Venerabilis Bedæ attribui cœptum est, ut liquet ex Amalario libr. I. de divinis Officiis capit. 37. ex Jona Aurelianensi Episcopo in lib. I. de Institut. Laicali cap. 16. & seq. necnon ex Usuardo in Martyrologio ad Nonas Augusti. Bene multa Opera edidit Venerabilis Beda, de quibus fuse dissertit Mabillonius tum loco jam a me laudato, tum etiam Dissertatione peculiari, quæ habetur Tomo I. Analectorum. Aliquot tamen Bedæ Opera nunc desiderantur, ut exempli gratia, Collectaneum ejus in Epistolas S. Pauli. At enim, ut optime animadvertit ibidem Mabillonius, Collectaneum illud in Epistolas Sancti Pauli, quod sub Venerabilis Bedæ nomine circumfertur, non est genuinus Bedæ sætus, sed Flori Ecclesiæ Lugdunensis Diaconi Opus est, ut manifesto constat ex duobus exemplaribus Collectaneæ a Beda conscripti, quæ a Flori Collectaneo diversa esse testatur Mabillonius, qui etiam ait, se legisse multos MSS. Codices, qui fidem faciunt, hoc Collectaneum, sub Bedæ nomine hæcenus vulgatum, Opus esse Flori Diaconi Ecclesiæ Lugdunensis. Hujus Collectaneæ Bedæ in Epistolas S. Graves. Hist. Tom. III.

Pauli, quod nunc desideratur, mentionem faciunt Hincmarus Remensis Episcopus, præsertim in Opere adversus Godescalcum cap. I. & Lupus Ferrariensis Abbas in Epistola LXXVI. ad eundem Hincmarum. Ex quo Mabillonius falsi convincit Baronium, qui negat, ullum Commentarium in Epistolas S. Pauli fuisse a Beda conscriptum. Sed quamvis argumenta, quæ adducit Mabillonius, dubitare non patiantur, Bedam scripsisse Commentarium in Epistolas Pauli, certum tamen est, hunc Bedæ Commentarium necdum prodidisse in lucem, sed adhuc manuscriptum delitescere. Henschenius genuinum Bedæ Martyrologium publicavit, illudque Tomo II. Sanctorum mensis Martii præfixit. Huic Martyrologio atroxitidem Henschenius Auctarium, quod Flori Ecclesiæ Lugdunensis Diaconi nomine vulgavit, sed, ne cum Bedæ textu confunderetur, minori characterē edi curavit. (a)

(a) P. Edmundus Martene Operibus Bedæ, jam vulgatis aliqua adjunxit Anecd. Tom. V. nempe Homilias XI. & Libellum Precum. Operum suorum indiculum Beda ipse confecit, eundemque in MS. Codice repertum, (quamquam alioquin jam notum) dedit Muratorius in Dissertationibus Italiae Medii Ævi Tom. III. pag. 825. Porro idem Muratorius ibidem testatur legisse se in Codice vetustissimo Ambrosiano compendium Historiæ Anglorum ab eodem Beda confectum sine additamentis ab aliis postea adjunctis, cum deserit in anno 731. quo Bertualdus Archiepiscopus Dorobernensis obiit.

Venerabilis Bedæ discipulum fuisse Alcuinum Natione Anglum, & Caroli Magni Præceptorē, opinantur nonnulli, sed non est dubium quin fallantur, quia Venerabilis Beda vivere desit anno MCCXXXV. quo tempore Alcuinus forsan vix natus erat. Alcuinus itaque non Bedam Præceptorem habuit, sed Egbertum, & alium nomine Elbertum, seu Albertum, qui fuerunt Archiepiscopi Eboracenses in Anglia. A Carolo Magno vocatus in Gallias Alcuinus, multis Beneficiis Ecclesiasticis auctus est, ejusque nomine honorificentissimis Legationibus sanctus. Complures eruditionis fama celebres discipulos habuit; in confutanda Hæresi Elipandi Toletani, & Felicii Urgellitani Antistitem diu strenueque adlaboravit. Monasticæ vitæ juxta Regulam S. Benedicti ineundæ percupidus fuit, probabilis tamen censent periti hujus temporis Critici, ipsum nunquam id vitæ genus fuisse amplexum. Alcuini tamen Monachatum multis probare conatur Mabillonius in ejus Elogio historico, quod habetur parte V. sæculi IV. Benedictini. Mortuus est Alcuinus anno MCCIV. ejusque Vitam, a quodam Auctore Anonymo descriptam, Andreas Duchesnius Editioni Operum Alcuini præfixit. Post vero hanc Editionem Operum Alcuini, studio Andreae Duchesnii ordinatam, typisque anno MDCXVI. Parisiis excusam, doctissimus Mabillonius Tomo IV. Analectorum publicavit Epistolas XXVI. Alcuini, & Baluzius Tomo Primo Capitularium, & Tomo Primo Miscellanea ejusdem Alcuini edidit Opuscula. Denique,

E

que,